

N. M. I, 62.
h. 10, 4.

X 1876038

Q. D. B. V.
De



CONSTITUTIO- NE ROMANI IMPERA- TORIS

*CONSENSU MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS,
SUB PRÆSIDIO
VIRI*

*NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, ATQVE
EXCELLENTISSIMI*

DN. WILHELMI LEISERI,

Antecessoris hujus Academiae celeberrimi, Curiae Elect.

Scabinatus, & Facultatis Juridicae Assessoris
gravisimi,

Patroni & Studiorum suorum Promotoris, summam

observantiam etatem venerandi,

disputabit publice

38

HANS HAUBOLD à KÖTTERITZ,

In Auditorio FCTORUM ad d. 2. Junii,

A. C. M. DC. LXXIX.



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad, Typogr.



COMPTON

THE ROMAN IMPERIAL

TORIS

COMPTON LIBRARY



HANS HALBOLD & KÖTTBRY

WITTEBORG

WITTEBORG





Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Non temerè & casu imperia con-
dita, & mortales in Republicas com-
positos crediderim. Singularem Omnia-
potentis Numine extiterunt. Qui qui-
dem ut gubernaculum rerum huma-
narum deposuit nunquam; ita salutem
nostræ regnorum ordine ab æterno prospexit eximie.
Tantâ concinnitate & diviniori robore, tantâque felici-
tate se commendant, ut suâ sponte sacrosancta prodant
incunabula. Enimverò majus beneficium, si civilem
vitam spectes, vix DEO terrarum orbis debet, quàm
quod in Rebuspublicis constituendis tuendisque præcla-
rè, præstitit. Deme hoc firmamentum, & eadem ruina
involveret omnia: Deme hoc frenum & undique latro-
num fœda recrudescet barbaries. Non religionis non
rei familiaris & literariæ, nec vitæ ipsius sibi constabit in-
columitas. Peritura commercia & quicquid beatitudi-
nis civilis eminent. Tristis ubique incumbet facies. Qua-
re de Persis relatum legimus, ut reverendam magis tre-
mendamque populo Majestatem facerent, permisisse o-
lim, quoties vacare thronum contingeret, civibus, qua-
quâ ferret effrenis delinquendi libido, impunè grassaren-
tur. Per tenebras enim almæ lucis reditus redditur com-

mendatior. Qvò 'magis detestanda Monarchomachorum, ut vocant, intemperies est, quâ sancta imperantium capita involare compagemque civilem convellere non erubuerunt. Veniam mereri videbatur vulgus rude, quod omnem mutationem principium habet majoris fortunæ, ruit quorsum cunqve furor agit barbarus. Sed Ducem se præbere sævientibus fovere & accendere vastos animos, & ex legibus malam causam orare, id verò ultimi sceleris est. Incredibile dictu, quàm funesta spectacula parricidæ illi ediderint. Profanatus regalis sanguis, perculsi throni. Plusquàm Tyrannos humano generi nocuisse pestem eam audacter prædicaverim. Testis Gallia, testis Anglia. Nec Romanorum Imperatorum culmen ab eâ clade intactum mansisse deplangit Germania. Fecit ea res ut politioris doctrinæ interpretes impensius pro Principum autoritate niterentur. Quicquid igitur ad fastigium & securitatem imperantium pertinere poterat ingenti operâ conquisitum est. Sed vitio humani animi, modum non tenentis, & hîc in transversum vindices isti rapi cœperunt. Nam per flagitia malasque artes stabilire regna irreligiosum quidam non arbitrantur. Ita Machiavellus Principem suum instruit, & quotquot Tiberii consilia sequuntur. Conciliare quoque divinitatis opinionem apud plebem, eamque ludibriis ducere visum est. Tum verò elevare in cœlum Rectores gentium, & vel ad solum DEUM, submotâ omni populi electoris vi effectrice, imperiorum referre originem, vel Deos facere immensâ potestate, instituerunt. Non verentes, ne quos Joves facerent, liberiùs in miseros non torquerent fulmina. Generosus Princeps, opinor, commenta, ad adulationem subinde composita fastidiet. Qvare de Constitutione sacratissimi Imperatoris

toris

toris Romani acturo animus est prius de origine Majesta-
tis genuinâ dispicere, & postmodum eandem ad speciem
nostram accommodare. In quo quidem negotio pro
virili dabimus operam, ut DEO & Cæsari suum jus tri-
buatur, & veritati suum robur stet. Id quod sanctè pro-
fitemur. Quæ res benè feliciterq; vertat, Numen al-
mum veneramur.

§. I.

Qui natales imperiorum excutiendos sibi sumpserunt in va-
ria divergia dilabuntur. Ut non temerè in cujus tandem
castra transeundum, invenias, & ex quo capite res augustissima
accersenda sit. Equidem cum illis transegerim facilis, qui ad jus
Naturale & Gentium confugiunt, si rectius interpretemur. Ex
hoc jure gentium, ait Jctus Hermogenianus *L. 5. ff. de J. & J.* in-
troducenda bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distin-
cta, agris termini positi. Nam cum homines, quibus indies
multiplicato genere humano graviores necessitates ac
calamitates incumbabant, conservari posse desperarent, civitates
condere, & per pacta subjectionis imperia constituere cæperunt.
Quæ res cum salutem mortalium stabiliret eximiè, frequentata in
mores gentium abiit, & Jus Gentium secundarium communiter
appellari amat, *Conf. Dn. Struvius S. J. C. Exerc. 1. tb 54. 56.* Etsi
imptopriè, cum consuetudines mera facta & sanctiones homi-
num complectatur, *Magnif. Dn. Præses notæ privat. ad §. 2. l. de J.*
N. & G. ut adeò ipsa pacta & causam proximam, quibus imperia
gentium subinde producta sunt inferat Jus Gentium. Ad Jus
Naturale, quod etiam Juris Gentium vocabulo efferri tralatitium
est, & Thomas Hobbes de Civè *c. 14. §. 4. it. Cajus in L. 9. ff. de J. & J.*
Paulus in L. fin. pr. de Rit. Nupt. L. 84. §. 1. de Reg. J. haud obscurè innu-
it, non uno nomine imperia referri posse arbitror. Quippe recta
ratio, si suppositâ multitudine & malitiâ hominum universè res
spectetur, regna moliri & in ordinem inperantium ac parentium
componi genus humanum oppidò dicitur. Causam remotam non
immeritò appellaveris. Inde graviter *Dn. Bæler. ad Grot. L. 1, c. 1. p.*
m 198. differit: Igitur summa potestas non ab humano tantū facta, sed

*A nobis non
dissentiant qui
jus Nature &
GG. causam
laudant.*

*à jussu divino & Lege Natura, seu tali factò humano, quo Juri Natu-
 ra obtemperatum itur, arcessenda est. Qui enim societatem praece-
 pit is societatis ordinem praecepit. Nam universalem inter homi-
 nes secundum LL. naturales societatem adornavit Creator, seu
 natura inter nos cognationem instituit, ut Florentinus in L.3. de
 J. & J. effert: eam verò, ut nunc quidem est, sine civitati-
 bus, & has sine Majestate colere vix licet. Ei concinunt, si citra ca-
 lumniam capias, quæ Wilhelmus Barclajus L.2. contra Monarch. p.
 m.277. in med. ferè habet. Quapropter licet regnorum quidem in-
 stitutiones Juri Gentium rectè tribuantur; quod ea populi dictante
 docenteq; ratione primitus amplexi sunt: tamen quæ homines occul-
 to quodam natura instinctu ad ea inclinabantur, eatenus Juris
 Naturalis dici potest. Ac proinde si quis rem altius repetat, inve-
 niat Regalia cum ipso humano genere cæpisse atq; crevisse imperia.
 Tum verò cum rectæ rationis dictamen pacta servanda esse sug-
 gerat, validissimò robore compagem civilem imperantes inter
 & obedientes firmat. Quod & eadem ex conventionem
 oriunda sit. Jus Naturale enim, ut ut Grotius L.1. c.1. §.10. præ-
 clarus Auctor, est, non de eis tantum agit, quæ citra voluntatem
 humanam existunt, sed de multis etiam quæ voluntatis humanæ
 actum sequuntur. Hinc eleganter admodum Magnificus Domi-
 nus Zieglerus ad d.l. Grotii notat. *Continet Jus Naturale generalia
 quaedam axiomata & regulas, quæ tamen in exercitio applicari ne-
 queunt, nisi positâ certâ actione humanâ, aut certo hominum statu.**

*Nec Aristote-
 les, qui natu-
 ram.*

§. II. Neq; adeò cum Aristotele nobis negotium est, qui
 L.1. Polit. c.2. & passim à Naturâ esse civitates, & imperia con-
 tendit. A Naturâ esse non id tantum dicitur cujus desiderium
 nobis per naturam DEUS T.O.M. suggestit; sed & quod jubet, in-
 culcat, cujus constituendi principia nobis connata sunt. Homi-
 nes enim tantis viribus naturaliter instructi sunt, quæ ad concin-
 nanda imperia sufficient. Accedit, quòd qui ad societatem à
 naturâ propendet, etiam eum ad imperia & potestates, sine qui-
 bus durare societates nequeunt, aptum esse necesse sit. Si igitur
 proximam causam Naturam habet Stagirita, & actuale imperium
 intelligit, cum eo non facimus: si virtuale ut loquuntur, nos
 consentimus. Pactum verò subjectionis penitus eum hinc non re-

mo-

movere Polit. l. 1. c. 1. in fin. arguit. Quare & primum in Regum imperiis
erant civitates, & etiam nunc gentes, ex iis namq; qui in Regum im-
perio essent, conveniebant. Omnis enim domus Regis imperio ad-
ministratur ab eo, qui aetate antecellit: quare & colonia propter co-
gnationem. Quod scitè explicat Obertus Giphanius in hunc lo-
cum: Probabile est igitur, homines qui in familiâ uni paruis-
sent, etiam in majore societate civili facilè unius imperio se
subjecisse.

§. III. Quibus maximè initiis Regna invaluerint, in præ-
sentiâ non disputo; cum ad monumenta Historiarum & factum
id pertineat. Necesse tamen est constitutas priùs sponte fuisse
civitates & Respublicas quàm bello committerentur. Quæ post-
modum gladio victore regni dilatarunt pomeria & ampliora
incrementa quæsivere. Potuit quoq; Patribus familiâs sparsim
degentibus prædantium latè furor materiam præbere junctis vi-
ribus civitatem ineundi. Inde neminem Politicorum tam absur-
dum existimaverim, ut solam vim & occupationem violentam
causam Majestatis efficientem laudaret. Quippe actus Physicus
est, quo robore & armis bestiarum ritu hostem superamus: pro-
se talem effectum moralem haudquaquam emolens, nisi volun-
tas DEI & bellantium accesserit. Undecunq; tandem potestas
civilis prodierit, sine pacto tacito vel expresso in victorem trans-
mitti non potest. Vicerit Cæsar, vicerit Augustus Romanos, &
omni cruciatu torserit: poterant tamen hi jugum quaterere, & nisi
lege Regiâ aliisq; ostentamenti obsequii probassent vincientium
conatus, Imperatores illi non evasissent. Occupatio enim in-
telligitur, quæ pace finita est, & hostes in subditos vertit. Inter
hostes nulla juris communio. In census causarum, quas im-
pulsivas appellant, redigenda bellorum vis, quæ occasionem ad
producenda imperia præbuit; non ipsa peperit. Necquicquam
ergò Fridericus Hornius est, qui in disp. de Causâ majestatis th. 2.
ut habeat, cum quibus gradum componat, sibi inter alios Bodi-
num L. 1. c. 6. p. m. 73. Adversarium fingit: quod is libertatem sine
vi maximâ nec nisi perruptis naturæ legibus eripi potuisse affirmave-
rit. Qui tamen contra Aristotelem tantùm, imperia antiquissi-
mis temporibus non sponte Heroibus, sed violentis subidde in-
strumen-

Nec qui bella.

*Nec qui indi-
gentiam.*

*Nec qui utili-
tatem.*

*Status Con-
troversia.*

*Nostra senten-
tia proponi-
tur.*

strumentis acquisita fuisse vult evincere. Quapropter nec ea nobis repugnat opinio. Eandem injuriam infert Grotio, qui quidem *l. 1. de J. B. & P. c. 4. §. 7.* Necessitatem & indigentiam in Societates civiles compulsisse mortales asserit; sed mentem suam alibi uti *l. 2. c. 4. §. 10.* testatius prodit, & à populi voluntate jus regnandi derivat. Atq; cum nunquam occasionem cum causâ verâ miscuerit, nec ille nobis gravis est. Idem statuendum de Boxhornio, qui in *not. ad lib. 1. Inst. Polit. c. 11. §. 1.* Utilitatis causâ Rempublicam congregatam asseverat. Quippe hi planè nobiscum hâc in parte arma socia ferunt.

§. IV. Quare cum illis potissimum lis mihi contestanda erit, qui ad solum DEUM, exclusâ omni populi constituentis virtute productrice, Majestatis cunabula referunt. Etenim in partes diversas abeuntibus prudentiæ civilis Doctoribus penitus reputanti, illorum mihi longè accuratior sententia videbatur, qui Majestatis autorem populum habent. Sed cum & hanc in suam causam ingenti abusu rapiant, & variis hypothesibus mistis deforment Monarchonachi, uti Johannes Miltonius in defensione pro populo Anglicano, Franciscus Hottomannus in Franco-Gallâ, Georgius Buchananus in Dialogo de jure regni, Stephanus Junius Brutus in Vindiciis contra Tyran. Boucherius de justa Heinrichi III. abdicatione è Francorum Regno, Johannes Althusius in Polit. item Jesuitæ & Pontificii, uti Franciscus Svaretz defension. contra Regem Angliæ, Didacus Covaruvias *Quæst. Pr. Bellarminus, Baronius, Mariana &c. conf. B. Hülsemann. in Breviar. Theol. c. 20. Tb. 3. age!* nec ex his principiis quicquam præsidii parricidarum furiis accommodari ostendam, & à purgamentis vindicabo. Tantum enim abest, ut cum eis faciamus, ut potius imperantium auctoritatem propugnare magno nisu moliamur.

§. V. Enimverò ambigua causarum & turbulenta vocabula vehementer impedire negotium, & ad ludibria abigere videntur. Nos, si verbis Philosophorum utendum est, populum causam majestatis & collatæ majestatis proximam & adæquatam, sed secundam arbitramur: ita ut DEUM T. O. M. tanquam causam primam & remotam nunquam excludamus: Quippe qui per creationem facultates morales, ex quibus conflata Majestas, conces-

concessit hominibus non solum; sed & aeternam providentiam, quam dictamen rectae rationis & Scriptura Sacra declarant, nobis de imperiis prospexit. Cavendum tamen, ne causa secunda cum sociâ confundatur. Simplicius dixeris: populus facultates naturales, quas à DEO accepit, jussu & singulari providentiâ DEI, quâ voluntatem eligentium dirigit, in imperantes transfert. Atque nostram sententiam tuetur *Magnificus Dn. Praeses in Dis. pro Imp. contra Dom. emin. §. 20.* DEum immediatè Principis superiorem esse concedimus; Majestatis verò seu potestatis, quam Princeps habet, causam immediatam DEum esse, negamus, eamque potestatem potiùs effectum voluntatis constituentium asserimus. Eidem subscribit *Gvilielmus Barclajus tractatu contra Monarchomachos l. 3. c. 2. p. 318.*, cujus verba cum nostram mentem aperiant, huc adjicere non dubitamus. *Quid ita? Quod nimirum DEus ipse Regis constituendi Princeps autor est, populus verò velut instrumentum causae secunda: ut quamvis pro immensa majestatis suae imperio, regnans in quemlibet, sine ullis populi suffragiis ulloque delectu transferre possit; non secus ac Rex Praetores l. Praesides cum imperio in singulas regni provincias mittere, vel mutare, provincialium l. non rogatâ l. non expectatâ sententiâ: tamen quae sua est in rebus humanis disponendis & dirigendis benigna providentia, non nisi isto Regis accipiendi ordine servato summam illam in populos potestatem cuique mandare velit. Quemadmodum igitur aeternus ille rerum Opifex, DEus Opt. Max., à primâ mundi origine, res à rebus, seu causis secundis, rato & perrenni ordine oriri, ac procedere voluit: cum per se potis sit omnes rerum naturalium effectus nullo intermedio procurare: ita Regem à populo & per populum fieri, quem ipse sine populo facere potest, ad illustriorem suae gloriae magnificentiam, mirabili hoc dispensationis artificio declarandam præcepit. Dicitur etiam constituere Regem DEus quod potentiam dominationis instituto Regi delatam ita confirmat, ut infringi à populo, aut infirmari amplius, nullâ ratione possit.* Ab eo non abhorret *Hugo Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 1. / c. 4. §. 2. & 7. passim, Thomas Hobbes de Cive c. 5. / Salmasius in defens. Regiâ pro Carolo primo, Hermannus Conringius passim, Boeclerus comment. in Grot., Puffendorff. de J. N. & G. Boxhornius, Achilles Epstein in notis ad Fridericum Hornium, alii.*

B

§. VI.



Status natu-
ralis & funda-
mentum im-
perii divini

§. VI. Omnem potestatem à DEO esse inter omnes, cre-
do, facilè convenit. De modo tantùm, quo ad homines civile
imperium derivatum sit, disceptatur. Igitur operæ pretium
non spernendum fuerit, ut ex penitis principiis rem paulò altius
repetere ingrediar. Sc. sub infantiam terrarum orbis Numen au-
gustum solum in universas creaturas, & vastam quaquà pater,
mundi machinam, dominium jure creationis possidebat. Nam
cum infinità virtute tam admirandam molem, tam nobilissima
corpora condere valeret, ejus arbitrii quoq; erat regnare à se
creata. Omnipotentiam appellaveris ipsam ut in res
creatas exercetur. *Magnif. Dn. Ziegler de Regicid. Angl. p. m. 55.*
Vi hujus domini, quo liberrimè de humano genere disponere
poterat, in ipso statim creationis opere sanctissimas Naturæ Le-
ges instillabat animo nostro, quæ modum, quo hominem conser-
vari vellet, præscriberent. Quæcunq; enim creavit, illa & con-
servare ab æterno constituit. *Balthasar Meisner de LL. lib. 2. Quest. 1.*
& 2. Sancito hoc Naturæ Jure enata inter omnes homines soci-
etas naturalis est, quæ ad pacem invicem colendam, suum jus cu-
jus tribuendum, neminem lædendum obligantur. Atq; in hoc
statu naturali omnes homines æquales erant. *L. 22. ff. de R. J. §. 2.*
J. de J. N. G. & C.; neminem nisi DEUM superiorem venerantes:
defuncti officio, si secundum scita naturalia vitam componerent.
Neq; satis habuit benignissimus Creator ordini providere hu-
mani generis; sed ipsum quoq; dominium, quod in orbem &
quæ illi accensentur, unus tenebat, nobiscum insigni amoris ex-
emplo communicavit liberaliter, ne alimentis destitueremur
Gen. 1. §. 28.

Status subje-
ctionis & fun-
damentum
imperii hu-
mani.

§. VII. Tum verò Eva, quod Autor Adamo fuerat, uti
divina imperata temeraret, in pœnam seductricis libidinis po-
testati mariti subjecta est *Gen. 3. v. 16.* inde prodiit maritale impe-
rium. Porro generationi Omnipotens gubernandi educandiq;
liberos necessitatem circumfudit, donec ipsi ad rectæ rationis
normam instituere vitam & victum parare sufficerent. Cùm ve-
rò tristis lapsus ad eò omnem sanctitatem naturæ nostræ excusse-
rit, ut finem eum sine imperio, quo recalcitrantes in ordinem
constituisset censendus est. Surrexit inde potestas patria. Quam
& ex subjectione Evæ promanare non inconcinnè nonnulli ar-
guunt.

guunt. Quod partus conditionem ventris haud obscure sequatur *Magnif. Dn. Praeses ad 7. de patriâ potest. §. 2.* Verum enim verò cum aucto genere humano, occupato paulatim orbe homines variis calamitatibus exerceri, & intractabilior indies mortalis ferocia coepisset fieri, quàm ut familiae segreges facinorosorum & domi & foris injurias amoliri possent amplius: commodam & beatam vitam in statu naturali non coli nec salutem expediri posse facile animadverterunt. De praesentiori ergo remedio, quo necessitatibus humanis consulere, cogitantes, jam spontè, jam vi & bellatore impetu adacti in civitates & civilia corpora coierunt. Sed cum hoc vinculum esset laxius quàm ut ad tuendos eos pacemq; obtinendam valeret, constringendum arctius erat. Quare per pactum subjectionis cives singuli voluntates suas voluntati unius vel plurium publicae subjecerunt, & in unam morali sensu voluntatem omnium voluntates redegerunt, ut pro arbitrio de communi salute habens eam statueret. Sed ne efficacia voluntatem publicam hanc destitueret, ipsaq; eluderetur, simul, tum quicquid naturalium facultatum privatis adversus alios competeat, tum potestatem in vitam, corpus, bona, honorem, quanta ad conservationem Reipublicae necessaria, aut indoles societatis civilis requirere videretur, in imperantes transtulerunt. Hanc voluntatem efficacem imperium, & societatem, quam imperium instruit, Rempubl. appellare amant. Atq; ex his patet genus humanum utilitate & necessitate invitantibus, naturali ratione dictante in Respublicas coaluisse. Quae tamen omnia non sine singulari DEI ter. Opt. M. numine ac providentia contigisse, vel solus eventus, qui apud omnes gentes molimini hominum respondit, abundè ostendit *Magnif. Dn. Praeses C. L. c. 9. Thomas Hobbes de Cive c. 5. §. 6. ad 9.*

§. VIII. Quae haecenus fusè proposui, reboranda jam ex principiis actionum humanarum sunt. Tria potissimum Conscientia, Potestas & voluntas habentur. Conscientia nobis legem aeternam DEI de gubernando & conservando humano genere prodit. Et vel naturalis est; quae principia naturalia, & inde deductas conclusiones; vel illuminata; quae partim principia supra naturalia per gratiosam revelationem manifestata inculcat,

Sententia nostra probatur primò à conscientia,

partim naturalia repetit. Amesius de conscientia L. 1. c. 2. §. 7. seq. Neutra immediatè à DEO sine facto humano, quod vim cauſandi habeat, constitui aut conferri Majestatem suggerit. Non illa: quia secundum jus naturæ merum omnes homines æquales esse, nemo, opinor dubitaverit, uti §. 6. deduximus, & Jctus L. 4. de J. & J. testatur. Hinc Puffendorffius L. 2. c. 2. §. 9. de J. N. & G. Adhendum quoq; hic paucis de illâ æqualitate, quæ consecrarium est status naturalis, quam possumus vocare æqualitatem potestatis seu libertatis. Per quam hætenus omnes homines æquales intelliguntur quod citra antegressum factum aut pactum humanum nemo potestatis quid in alterum habeat, sed quilibet suarum actionum ac virium sit moderator. Sed præcipit tantum, ut Republicæ ab hominibus constituantur, quemadmodum §. proximo demonstrabitur. Non hæc; quia nullibi in Sacrà Scripturâ conceptis verbis imperium civile à DEO immediatè constitutum legimus; & quicquid dubii ex divinis effatis excitatur, infra, ubi causam secundam non excludi per eadem probabitur, diluemus. Accedit, quod Sp. S. priori Petri 2. v. 10. ἀνθεωπιὴν κλίον seu humanam ordinationem magistratum vocitet. Cui necquicquam obvertitur; non constitutivè sed subjectivè hæc explicanda esse, quod è vestigiò subtexat Apostolus propter DEum obediendum magistratui esse. Nam v. 14. proximo, Duces & magistratûs inferiores quoq; ordinationem humanam vocat, cum tamen ii ab hominibus, tanquam causâ efficiente præfiantur. Propter Dominum obsequi magistratui tenemur, quia DEus non tantum æternâ lege, ut humanum genus per summas potestates regnaretur, providit, sed & pacta, quibus Republicæ instituuntur, per jus naturæ servari jubet, uti §. 1. supra demonstrare occupavimus. Eodem spectat, quod propter conscientiam magistratui subesse jubentur cives Rom. 13. v. 7.

*Argumentum
secundum à
potestate.*

§. IX. Cum injussu DEI non liceat homini, in quem solius Creatoris imperium valet, se alii homini subicere: non solum auctoritate divinâ gentes & regna constituere homines, sed & tantis facultatibus instructos esse, unde augustissima Majestas compingeretur, nobis probandum incumbit. Igitur permisisse mortalibus Numen, ut potestati & arbitrio alterius se submitterent, argumento

gumento est, quod libertas Juris Naturalis negativi sit: & cum homini liberum Creator fecerit, agere quicquid libet, nisi legibus prohiberetur: promissionem verò obsequii prohibuerit nunquam, oppidò jus se subjiciendi omnibus indulgisse, colligimus. *Herm. Conringius Dissert. de Subj. S. P. lib. 43.* Hæc fulcit pulchrè *Grotius de J. B. & P. dum à minori ad majus L. II. c. 3. §. 8.* ita argumentatur: *Licet homini cuiq; se in privatam servitutem, cui velit addicere, ut & ex lege Hebræâ & Romanâ apparet, quidni ergò populo sui juris liceat se uni cuiquam, aut pluribus ita addicere, ut regendi sui jus in eum planè transcribat; nullâ ejus juris parte retentâ.* Tum verò cum genus humanum multiplicatum, & vario flagitiorum genere inhorrescens pacem ac incolumitatem tueri, legesqve naturales aut penitus non aut difficulter admodum observare, nisi civitatibus & imperio civili constitutis, possit: haud obscurè clarescit, Deum, qui præcipit finem, sc. ut secundum sanctitatem Naturalis Juris vitam agamus, etiã media, quæ eò ducunt, sc. constitutionem summarum potestatum injungere. Recta ratio enim est interpretres arbitrii & providentiæ divinæ, quâ conservare gentes decrevit. *Dn. Bæcler. ad Grotium l. I. c. 3. §. 6. Puffendorff. de J. N. & G. l. 7. c. 3.* Porro impossibile propemodum hominibus fuerit præceptum *Genes. 9. v. 6.* traditum: *qui sanguinem humanum effuderit, ejus sanguis fundetur per hominem,* extra Rempublicam exequi. Nam & Latrones armis junctis ultoribus resistere poterant facilè, & homines segrege ægrè vires ad opprimendos homicidas fociâssent. Imperavit ergò hæc lege simul Omnipotens Rerum-publicarum constitutionem, sine quibus sanctio ejus ferè semper frustraretur. Atqve ita hunc locum quoqve interpretatur *B. Lutherus commentario in Genes. Hic ergò fons est, ex quo manat totum jus civile & Gentium.* Nam si Deus concedit homini potestatem super vitam & mortem, profectò etiam concedit potestatem super id, quod minus est, ut sunt fortuna, familia, liberi, servi, agri. Et paulò post ibidem: *Insignis ergo hic textus est, & dignus observatione, quod Deus Magistratum instituit, & Dei gladium dat in manus, ut restringat licentiam, ne tum sevitia, tum alia peccata progrediantur in infinitum.* Idem sentit *Gerhardus Loc. de Magistr. Polit. c. 6. sect. 5. membr. 2. art. 3. n. 296.* In Veteri Testamento etiam ante legem Mo-

saicam opposuit Deus sceleribus in genere humano invalescentibus Ma-
gistratus constitutionem, eiq; gladium adversus delinquentes tradit.
Gen. 9. v. 6. Et mox infra: Notanter additur, quod per hominem
sanguis homicidæ sit effundendus. Id verò non potest intelligi de quo-
vis homine privato, aliàs omnia cadibus & homicidiis replerentur:
sed necessariò intelligendum de Magistratu, cui tradit Deus jus gladii,
quomodo interpretatur ipse Apostolus Paulus Rom. 13. v. 4. Tandem
quæcunqve præterea effata sacra, de quibus §. 25. infra, Deum au-
torem imperiorum jactant, eundem homini hoc negotium dedis-
se, gestumqve approbasse arguunt. Non enim ea tantùm à DEO
sunt, quæ ipse immediatè, & citra ullum factum humanum inter-
veniens instituit: sed & quæ homines ductu sanæ rationis, pro
conditione temporum & locorum recepere ad implendam obli-
gationem sibi abs DEO injunctam, Puffendorff. de J. N. & Gent.
l. 7. c. 3. §. 25.

Jura majesta-
tis singula ex
principiis na-
turalibus de-
ducuntur.
Jus ferend.
LL.

§. X. Delibabimus singula, eaq; potiora Majestatis jura, ut
 videamus, an vires hominis naturales concinnatæ à populo ad vim
 Majestatis pertingant. Et primum quidem se offert jus ferendi le-
 ges, pars Majestatis amplissima, quod potestatem jubendi latius
 quoque dixeris. Lex est voluntas superioris dirigens voluntatem
 subjecti ad certum finem. Legem ferre est voluntatem suam sub-
 jectis promulgatam injungere. Parere est velle & exequi, quod su-
 perior vult & mandat. Potest enim homo, qui liberum in actiones
 suas habet arbitrium, illud suspendere à voluntate alterius, ita ut
 vel quædam vel omnia juxta illius præscriptum agat. Dum ergò ci-
 ves omnes per pactum subjectionis voluntates suas imperanti in-
 perpetuum, & quoad universas actiones ad salutem communem
 pertinentes subjiciunt, i. e. promittunt fore, ut vellent semper,
 quicquid vellet, seu imperaret superior: reverà legislatoriam po-
 testatem constituunt, & in superiorem transcribunt. Ergò cum
 ex pacto & promissione civium subditorum possit negotia civilia
 imperare etiam invitis, Principis voluntas moraliter subditorum
 ipsorum voluntas est, & in hanc ultimatoè resolvi potest. Id quod
 imperium maritale innuit. Quod Deus constituturus volunta-
 tem Evæ Adamo subjecit. Effectus verò idem sequitur, sive ego
 per pactum sive Deus ipse voluntatem meam alii subjecerit. Inde
 Hob.

Hobbes de Cive c. 14. §. 2. ait: Pactum obligat per se, lex obligatum tenet virtute pacti universalis de præstandâ obedientiâ. Et Demostheni l. 2. ff. de LL. Lex sponsio civitatis universæ non adeò absurdè dicitur, si mediatè intelligas: quia pacto civitatis factum est, ut imperantis voluntas omnes obligaret.

§. XI. Legibus superioris, ne evanescant, vim ac robur conciliat jus cogendi, quo & puniendi jus complectimur. Punire, est homini subiecto mihi, si immorigerus fuerit, & iussa superioris, quibus salutem communi providebat, calcaverit, auferre vitam, honorem, bona, aliove malo afficere, prout malè vel pejus de Rep. meruerit, & bonum commune id expetat. Cum enim directò regere voluntatem & actiones alterius, sicuti proprias, homini per naturam humanam non liceat: indirectò tamen per præmia aut malum gravius minando, quam actum imperatum comitatur, ad certum finem flectere voluntatem alterius possumus. In societate verò civili aliquando necesse est actum aliquem justum vel indifferentem mortis metu, quo solo voluntas subditi quandoque perpelli potest, injungere. Equidem æqualis æqualem, qui jus suum tribuere sibi detrectat, cogendi potestatem habet in infinitum naturaliter: id est, habet facultatem moralem defendendi vitam, corpus, pudicitiam, bona &c. cum internectione hostis, si aliter malum imminens avertere non licet. *Grotius de J. B. & Pac. l. 1. c. 3. §. 17. l. 2. c. 14. §. 6. & l. 1. per totum. Durrius Ench. Mor. p. 3. c. 9.* In tantum, ut si aggressor magnâ obstinatione lædere perseveret, nec spontè hostilem animum deponat, à Victore jam superatus, si is aliâ cautione suæ securitati consulere nescit, omnibus viribus everti, & morte ipsâ queat affici. Hinc non tantum defendendi, sed & ulciscendi jus adversus hostes Imperantes, qui verè adhuc in statu naturali agunt, habere dicuntur. *Hugo Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 16. Magnif. Dn. Ziegler. Exerc. 10. de Jur. Maj. tb. 38. Durrius C. L. §. 4. Dn. Puffendorff. C. L. lib. 7. c. 3. §. 2.* Hoc jus, dum singuli in imperantem transferunt, ut per viam judicii prudenter exsequantur, quod per viam facti ac belli in statu naturali exequi, non sine concitatâ libidine & proprio periculo turbatâ quiete publicâ oportuisset: efficaciam insignem quidem mandatis imperantium circumfundunt; sed hæc ad plenam poenarum amplitudinem nondum assurgere videntur.

Jus cogendi & puniendi.

§. XII.

§. XII. Quare de negotio porrò ita habe. Homines naturaliter habere jus ad famam bonam, & ab altero exigendi honorem, quæve eum comitantur, lex naturalis, quæ veracitatem & quemlibet bonum ac honestum præsumere jubet, & octavum præceptum Decalogi innuit, *Dürrius C.L.c.14.* Dominium quoque & facultatem liberam disponendi de rebus propriis jure donationis divinæ & distinctorum dominiorum omnibus competere, nemo inficiatur. Poterant ergò singuli sub conditione delicti cujuscunque in legem superioris commissi, quam condi utilitas publica exegerit, hæc jura Reipublicæ & imperantibus permittere & se eis abdicare. Quæ dum Principes patratæ flagitiis, utpote conditione eveniente, auferunt, punire dicuntur. De corpore & vita gravius dubium: cum nemo dominus vitæ & membrorum suorum, adeoque facultatem disponendi de eisdem transferre in alios nequeat. Sed nondum res ad Triarios devenit. Habemus, quo confugiamus. Scilicet notum in vulgus est, Deum T. O. M. arbitrium vitæ & necis in quemlibet mortalium habere. *B. Lutherus in Gen. p. m. 144.* Dum verò constituere imperia jus sit homines, quod ex §. præc. 9. supponimus, jus ad media, quæ ad eum finem obtinendum sufficiunt, quoque dedisse credibile est. Quare cum tam profligatæ malitiæ humanus animus sit, ut actum aliquem quandoque eidem frustra imperaveris, nisi mortis metu perterrefacere detrectantem & temeratorem capite plectere liceat: imperium omne elusorium fiet, & Reipublicæ pessundabuntur, si jus in vitam & corpus subditorum Principes non armaret. Relinquitur itaque tantum jus competere singulis naturaliter, ut vitam corpusque Reipublicæ obligent ac devoveant: istaque auferre & affligere eadem possit, quotiescunque necessitas, & ingens utilitas publica, quæ comprimis in delictis coercendis cernitur, flagitat.

§. XIII. Atque hoc scitè roborat ipse Salvator noster, quo usque lex charitatis se extendere possit ac debeat, docturus Johannis c. 15. v. 13. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicuti dilexi vos, majorem hanc dilectionem nemo habet, quam qui animam suam ponit pro amicis suis.* Et Apostolus 1. Joh. 3. v. 16. *Per hoc cognovimus charitatem, quod ille (scil. Christus) animam suam pro nobis posuit: nos ergò debemus animas pro fratribus ponere.* Quod

Gvi.

Guilielmus Amesius de Conscientiâ l. 5. c. 7. §. 14. ita exponit: In bonis temporalibus tenetur quisq; personam publicam vel communitatem sibi motipso præferre. Bonum enim totius plurius faciendum est, quàm bonum unius alicujus partis. Et sanè producti textus ad minimum obligationem talem, quâ vitam nostram salutem omnium civium seu Reipublicæ postponimus, & sub conditione delicti obstringimus, non injustam esse probant. Hæc quoque jus civile Romanum, quo l. 1. §. 28. de SCto Syllaniano servi vetantur suam dominorum salutem anteponere, egregiè firmat. Quamvis enim servus adstringatur arctius, quàm civis regulariter: id tamen patet inde, quòd possit quis se obligare, ut suæ vitæ alterius vitam præferat. Nemo autem propterea leges Roman. impugnare sustinuit. Ut taceam, in herilibus imperiis servorum conditionem subire subditos.

§. XIV. Hactenus assertis non adversatur, quod de lege charitatis, quâ diligere proximum sicuti nos ipsos jubemur, circumferunt, sed potius juvant validè. Sc. ordinatam charitatem incipere à seipsâ, & majorem propriæ, quàm alienæ salutis curam commendasse nobis Naturam. Normam esse charitatem sui ipsius: normatum charitatem adversus proximum. Illam ergò huic præferendam. Etenim hæc exaudienda de liberâ voluntate hominis sunt, antequàm pacto subjectionis devinctus imperio publico se submitit. Nos verò de facultate morali disputamus, quâ homo pro hominis incolumitate devovere caput valet: & statu, ubi jam in ordinem concinnum rudis moles redacta est, quicquid subjectionem sequitur. Adde quod aliàs cum fortitudine quoque bellicâ pugnaret. Si enim tum demum miles teneretur commilitonem & Rempublicam defendere, nisi periculum vitæ in se non devolveret, nunquam egregia facinora in bellis ederentur, & actum de militiâ, actum de Republicâ foret. *Magnif. Dn. Præses discursu publico ad Jus Feud. 1. F. V. pr.* Obvertere pergas: quanquàm de potestate hominum hæc rectè jactentur, dubium tamen subesse ingens, an in tantum ligari voluerint subjectionis pacto coeuntes in Rempublicam. Idquæ vel inde patere, quod ideo in Respublicas commeaverint privati, ut vitam bonaquæ accuratiùs conservarent ac protegerent. Ita verò majoribus quàm in statu naturali periculis

C

in fe-

infestos fore. Enimverò privatorum salus publicâ salute nititur, nec concussâ & pessundatâ Republicâ vitam, resque suas habebunt incolumes privati. Quamquam autem salutem societatis civilis publicam ita intenderunt primi constituentes quatenus singulorum salus eâ continetur: id tamen ad hos demum pertinet, si fieri potest. Sin omnes aut omnium vita ac res salvæ esse nequeunt, tum verò potioris partis salutem cæde & damno unius aut paucorum vindicare imperantibus, ex ipsorum qui intereunt, consensu jus fasque fuerit. Accedit, quod indoles penita Republicæ, quam singuli moliebantur, id exigeret, & nemo temerè in se malum, quod paucos maneret, expetiturum vereretur. Salutem verò & tranquillitatem societatis humanæ afferi non posse nisi multis & suppliciis capitalibus scelera restringantur, in aprico est.

§. XV. Si hæc obstinatum animum nondum satiant, age, ad Genes. c. 9. v. 6. provocho; ubi Numen alium amplè & accuratè humano generi cavens, omnibus hominibus dat jus occidendi percussores & homicidas, etiam cæde facta; quod naturaliter solus insultatus, cujus caput appetebatur, ante cædem illam habebat: Hoc ipso nobis tacitè vel permittit vel præcepit, eodem jure uti in cæteris delictis, quando atrocissima fiunt, & eadem calamitate securitatem & pacem communem affligunt, quæ homicidia: ut crimen læsæ Majestatis, adulteria & furta frequentata. Ubi enim eadem causa adæqvata, quæ impulsus legislator, subest, ibi & eadem dispositio seu lex & facultas à lege data militat. Faciunt huc verba Grotii de Jure B. & P. l. i. n. 6. *Sunt enim quedam, quæ vitæ æquiparantur, ut existimatio, pudor virginalis, fides matrimonii, aut sine quibus vita tutâ esse non potest, ut imperii societatem continentis reverentia adversus, quæ qui faciunt, homicidis meliores non videntur.* Imò potestatem puniendi in universum hinc exstruxeris, & gravia peccata morte, leviora bonorum aliâve jacturâ castigare nobis, prout è re communi videatur indulget. Hoc jure occidendi, dum ad ductum rectæ rationis per pactum subjectionis se abdicant singuli, & in imperantem transmittunt, hic jus capite plectendi acquirunt. Non possum mihi temperare, quia quæ in allegatum locum commentatur B. Luthe.

Lutherus huc adscribam. *Hic autem communicat suam potestatem DEUS cum homine, & tribuit ei potestatem vitæ & necis in homines. Sic tamen si sit reus effusi sanguinis: Qui enim jus non habet occidendi hominis, & occidit tamen hominem, hunc subjicit Deus non solum suo iudicio, sed etiam gladio hominis. Itaque si occiditur, etsi hominis gladio occiditur, tamen à Deo rectè dicitur occisus esse. Hic ergò fons est, ex quo manat totum jus civile & Gentium. Nam si Deus concedit homini potestatem super vitam & mortem: profectò etiam concedit potestatem super id quod minus est, ut sunt fortuna &c. Hæc omnia vult certorum hominum potestati esse obnoxia Deus, ut reos puniat. Et paulò post, ibi: Ergo locus &c. Idem tradit B. Gerhardus l. d. Jam verò quod de homicidis statutum, idem etiam de aliis facinorosis Reipublicæ tranquillitatem horribiliter turbantibus accipiendum. Hebræis enim in more positum, ex specie genus intelligere, & speciali exemplo generalem regulam constituere. Conf. Carpz. Pr. Cr. part. 3. Quæst. 101. n. 3.*

§. XVI. Ex dictis modò juribus pleno alveo jus interpretandi, dispensandi, & ejus illustri species aggratiandi profluit. Nam dum cives Rectoribus suis legum ferendarum & puniendi facultatem dant; eo ipso quoque arbitrio eorum relinquunt, explicare eas & remittere de jure sibi quæsito, ubi publicè id expedire & cessare pœnarum fines animadverterint. Non enim tam absolutè ad pœnas sumendas adstringuntur, quin necessitatis & tranquillitatis publicæ potior ratio habenda veniat. Coetèrum cum imperantes finitæ virtutis sint, nec commodè ipsi negotiis expediendis præesse semper queant, populus elector poterat simul liberum facere eidem per ministros jura sua exercere. Natum inde Magistratus constituendi jus. Quippe qui nihil nisi exercitium summæ potestatis habent. Enimverò quia Magistratus & iudices inferiores subinde aliquid affectibus dant, & malignè partes agunt: si indignè habiti subditi sententiâ acquiescere recusent, causam ad summum Imperatorem referendo appellare dicuntur. Sequitur jus circa Sacra. Omnes homines & colere Deum tenentur, & ad eum modum, quo se coli jus sit. Dux enim potissimùm societates, quibus genus humanum non sine illustri Numinis providentiâ regitur, inter nos existunt. Alteram

*Jus Interpre-
LL. dispensan-
di & aggra-
tandi.*

*Jus constituen-
di Magistra-
tus.*

*Jus extrema
provocationis.*

*Jus circa Sa-
cra.*

civilem vocaveris, spiritualem alteram sive Ecclesiam. Hæc externo quoque ordine opus habet. Quem vel singuli patres familias vel coetus fidelium, prout fortuna Ecclesiæ tulit, pro lubitu poterant componere naturaliter. Sed cum civilis societas huic subinde implicaretur, ne ea res materiam turbæ & consternationis multitudini præberet, & Ecclesia eò felicius sub umbrâ Reipublicæ acquiesceret, publicè intererat, ut Sacrorum cura imperantibus committeretur. Jus imperantium in bona civium, cui jus collectandi innectitur, in dominio privatorum fundatur. Cum enim virtute ejus pro arbitrio de rebus suis disponere cives possint: liberum ipsis quoque erat Principi jus in fortunas suas, quantum salus publica exposceret, & ad res communes gerendas pertineret, conferre, ipsique determinandum relinquere. Progreddimur ad jus dignitates & honores conferendi. Omnes homines naturâ quidem æquales; honorem tamen sibi invicem debent. Qui signis externis, quibus sanctitatem, sapientiam, prudentiam, dotesve alias alterius declaramus, exhibetur. Poterant ergo mortales imperantibus auctoritatem definiendi & conferendi vel ob naturales vel civiles causas, honores relinquere. Porro agere conventus, quibus de negotiis communibus deliberetur, quanti quanti sint, hominibus licet. Sed melioris concinnitatis nomine, utque tumultus materia intervertatur, hoc jus deponere & Reptori gentis committere poterant. Jure venandi & in metalli fodinas &c. homines ex donatione divinâ, quâ dominium in orbem & bestias communicatum nobis, gaudent omnes. Hanc naturalem facultatem jure imperii, quo cura Reipublicæ omnis tradita, Princeps, si ita fructuosum arbitraretur subjecto populo, regalibus asserere poterat.

*Jus in bona
subditorum.*

*Jus conferendi
dignitates.*

Jus Comitiorum.

Jus venandi.

*Jus Legat.
mitt.*

§. XVII. Ita singuli mortales possunt negotia vel ipsi, vel per alios gerere, quibus suam personam induunt, & voluntatem produnt. Sed dum justus populus eâ libertate se abdicat, & Principi gubernaculum publicum soli tractandum concredit, simul ut ministerio aliorum in gerendis rebus utatur, si egregium Reipublicæ id expetat, permittere videtur. Inde Jus Legatos mitten-

mittendi. Qui eò sanctiores habentur quò indignius est integram gentem, pacem ac quietem meditantem, quam singulos homines violare. Jus bellandi, quantumcunqve excurrat, potissimum jure defensionis, quo singuli rupto societatis naturalis vinculo facultatem moralem contra hostem habent in infinitum, nititur. *Conf. §. 11. supra.* Eidem inservit non rarò jus quo cives, ut cum periculo vitæ presentissimo in militiam ad hostes barbaros, Legati, obsides, eant, coguntur. Quod ex iisdem principiis, quæ §. 11. & 12. tanguntur, exstruimus. Hanc in rem eleganter Puffendorffius *Jurisp. univers. p. m. 426. §. 10.* differit. *Ex eo igitur ut vita nostra ob bonum societatis humane legibus natura est veluti munita, convincitur, posse aliquem ex obligatione ab imperante injuncta, aut quam ipse cum ratione susciperet pro salute plurium ejusmodi subire periculum deliberato consilio, ex quo prævidet probabiliter, se nisi insperato fors casu salvum non evasurum.* Non minùs fœderum jus & pacis conciliandæ ex naturali de quolibet negotio, sive ad componendum bellum, sive ad tutelam communem vel ad instruenda commercia pertineat, facultate proficiscitur. Idem de Jure commerciorum habendum. Vectigal bonam partem ob impensas, quas Respublica in itinera publica facit, ut tutus per eadem & commodus pateat comneatus, imponitur. Quod singuli eodem onere defuncti, ab his, qui fundos suos præterirent exposcere poterant. *Hugo Grotius de Jur. Belli & pac. lib. 2. §. 14.* Restat ut de voluntate dispiciamus. Quam vel sola necessitas imperiorum, sine quibus ne seculum quidem humanum genus durasset, memoriæ veteres, & hodierna populorum facies abundè evincunt. Cùm ergo DEUS T. O. M. nunquam ipse sine operâ hominum imperia constituerit: hominibus vero & permiserit, & præceperit, ut constituerent: Hi quoque tantis viribus valeant, ut possint, & tandem velint constituere eadem, causam Majestatis immediatam homines audacter affirmavero. Ad extraordinariam causam frustra confugimus, ubi ordinaria prostat.

Jus bellandi.

Jus cogendi cives ad pericula adeunda.

Jus fœder. & commerc.

Jus Vectigal. Imp.

III. Argum. à voluntate.

Resp. ad Ar-
gum. contr. Et
quidem ad
primum, quod
imperium ac
jus vitæ & ne-
cis nemo in se
habeat.

§. XVIII. Adversariam amplectuntur ingentis quoque no-
minis viri, quos venerabundi præterimus; cum Johanne Fride-
rico Hornio cum primis, qui ferocius eandem propugnat, manum
conserturi. *Is lib. 2. de Civitat. c. 1. §. 9. 10. & 19.* hæc momenta no-
bis objectat. *Secundam & proximam causam sibi adequatum effe-
ctum producere per potentiam à primâ concessam. Populum verò
non à DEO accepisse potestatem, per quam imperium producat; ne-
minem enim natum hominem imperium habere in se; quippe quod
duas personas, præcipientem alteram, alteram obedientem exigeret:
adeoque in alium transferre non posse. Idem multo exquisitius in jus
vitæ & necis convenire, quod nemo in se possideat. Pacti vim ad im-
perium non adscendere. Illud verò longè absurdissimum esse, univer-
sos posse præstare, quod nequeant singuli. Nullam enim multitudinis
operationem fore, nisi operentur singuli. At enim verò hæc vehe-
mentiùs jactantur, quàm veriùs. Populum tanto robore à DEO
instructum esse, quod ad Majestatem emolendam valeat, adeoque
causæ secundæ munus tueri meritò, supra, eundo per singula Ma-
jestatis jura affatim probavimus. Eadem facilitate subsumerem:
Hordeum cerevisiam in se non continet, ergo nec maceratum, &
aqua mixtâ coctum producet. Colores simplices in se picturam
hominis non habent: ergo nec arte pictoris diluti imaginem
eam repræsentabunt. Vereor ne DEUM creasse
mundum neget, quod eum in se ab æterno conditum non habu-
erit. Dominus servitutem ususfructus in suum fundum non ha-
bet; cum res sua nemini sarviat *L. 63. ff. de Usufruct. L. 26. de servit.*
urb. pred. ergò eandem nec alii constituere potis erit? Qui tò xú-
riov in Republ. tenet, jurisdictione propriè dictâ gaudet minimè,
& tamen magistratibus inferioribus comminuat. *Ulp. l. 46. ff.*
de A. R. D. non esse novum, ut qui dominium non habeat, alii do-
minium præbeat, affirmat. *Sc. maximopere interest, virtualiter, ut
ajunt, populus quid habeat: an formaliter.* Equidem verum est,
priori modò actuale imperium eiq; innexam vitæ ac necis auto-
ritatem penes populum nondum in Rem Publicam compositum
non residere: cum qualitates morales alienissimam à Phycis in-
dolem sortitæ sint, & antequam transferantur, ut productæ se-
paratim existant, necesse neutiquam sit. Benè tamen prædicave-
ris*

ris habere facultatem moralem voluntatem suam subjiciendi aliis, vitam suam pro salute aliorum obligandi, aggressores vi repellendi &c. ac ita Majestatem constituendi quemadmodum §. 11. 12. 13. prolixè explicavimus. Potestas etiam civilis non tantum ex potestate singulorum in se, sed & in alios derivanda est. Dum ergo universi actu se arbitrio superioris submitunt, imperium integrum procreant. Quod nihil aliud, quam voluntas superioris efficax est. Id ergo explodendi ponderis existimandum, quod universorum cum singulorum viribus contendit. Solus pater filium gignere non potest; utiq; tamen sociâ matre, Unus miles aciem hostis fundere non potest absurdè verò totum exercitum eam vincere non posse inde colligas. Plurium voces invicem concinnatæ symphoniam pariunt; quam in unius voce non deprehendas. Plures & validiores facultates penes justam multitudinem hærent, quam unum l. paucos homines; præsertim quòd quædam, non tantum in ipsos, qui tribuunt, sed & in alios ferantur. Sanè si singuli servi dominium plenum in se dominis conferre sufficiunt; multò magis singuli imperium plenum & verum etsi particulare in se Principibus committere valent. Id dum omnes agunt, tandem universale imperium seu Majestas emergit. Quod verò de pauperibus adfert, quorum singuli si reruntium non habeant, nec multitudinem locupletem habere censendam, in eo veteratorem strenuum se gerit. Nam si singuli reruntium conferant, tandem multos imperiales universi conficient. Taceo, quod totum hoc argumentum ab indole causæ Physicæ petitum minùs commodè causâ morali explicetur; quam diversum à suâ naturâ effectum producere, nihil vetat; ut multis exemplis demonstrari possit.

§. XIX. Instat C. L. §. 10. n. 29. *Causam servare pristinam essentiam & effectui eandem communicare citra propriam sui corruptionem. At verò populo adimi imperium, quoties Principi conferretur. Cæterum hoc axioma universale non est, & vehementer fallit. Physicorum enim scholam redolet, in morali doctrinâ non tolerandum. Homines fuerunt causa dominiorum privatorum. Numquid verò propterea dominiis distinctis jus occupandi orbem retinuerunt singuli, i. e. in communiione perman-*

Respondetur ad argum. quod populus maneat superior.

serunt?

serunt? Servus est causa domini, quod Domino tribuit: non
verò constitutâ servitate liber perseverat. Causa enim faculta-
tis moralis dicitur is qui eam producit & in alium transfert.
Eo ipso verò dum transcribit in alium, retinere non
potest. Probè ergò secernenda communicatio potestatis cumu-
lativa, quâ sublimiorem potestatem sibi concedens reservat;
quemadmodum DEus homini, senior Vasallo, dominium com-
municat: à privativâ, quâ concedes nihil sibi reservat. Hæc in
omni imperiorum constitutione militat. Inde populus Roma-
nus potestatem ac imperium omne in Augustum transfudisse di-
citur. Ejusdem propemodum farinae sunt, quòd ajunt, *Si à po-
pulo Magistratus potestatem suam haberet, Principem ministrum po-
puli fore, populum superiorem Principe, indeq; majestatem realem,
monstrum politicum, prodire.* Conf. Horn. C. L. lib. 18. Verùm hic
Monarchomachorum error exitiosus est, quem nostrum non fa-
cimus. Interim quòd conditor Majestatis populus sit, eundem
constituto quoq; imperio superiorem manere illicò non sequi-
tur. Nam ditioni imperantium voluntatem vitam & fortunas
omnes subjiciunt, & regali solio supra se imponunt; non infra
se constituunt. Diversissimæ partes Principis & ministri sunt.
Hic nudum exercitium, ille ipsum potestatis habitum accipit.
Venditor fundi traditi Dominus non manet nec servus domino
imperitat. Sive Numen cœlitus Majestatis axioma Principi in-
fuderit: sive populus elector concesserit; idem effectus, si subdi-
torum obsequium respicias, sequitur. Subjectionem volunta-
tis & virium naturalium continuò imperium excipit. Quam
DEus l. homo fecerit, perinde est. Profectò Regem legibus ob-
noxium esse, populiq; subire judicium, & ratio memorata vetat,
& tranquillitatem salutemq; Reipublicæ, quam ubiq; primi con-
stituentes intendebant, prælentissimo periculo exponit, nec ordi-
nem, sed barbariem statu naturali foediorem inducit, uti *Gvil.
Barclajus l. 3. c. 16.* contra Monarchomachos nitidè persequitur.
Hinc *Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 8.* At in imperiis, quia progressus
in infinitum non datur, omnìò in aliquâ aut persona aut cœ-
tu consistendum, quorum peccata, quia superiorem se judicem
non habent, DEus sibi curæ peculiari esse testatur; qui ea aut
vindicat, si opus judicet, aut tolerat in pœnam, aut explorati-
onem

onem populi. Taceo, quod ita omnium Rerumpublic. discrimina perimantur: uti Salmasius in defens. regiâ c. 6. p. m. 137. & passim inculcat ac tandem p. 181. ita decidit: quod statuemus ergo discrimen popularis status & regalis, cum in utroque à populo potestas, velut ab origine veniat. Hoc certè erit. In populari penes populum potestas manet, in regali à populo in Regem transfertur. Populi esse desinit, ubi Regis esse incipit. Gravi in milites oratione Imperator Valentinianus apud *Sozom. Hist. Eccles. l. 16.* invehitur: Ut me ad imperandum nobis eligeretis, in vestrà situm erat potestate, ô milites: at postquam me elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi quæ facienda sunt cogitare.

§. XX. Realem Majestatem, si à purgamentis vesanorum Politicorum liberetur, admittimus: spuriam damnamus. Illam verò describunt, quod toti Reipublicæ inhæreat perpetuò, & superior personali sit, quam in ordinem redigat & refrænet. Personalem personæ regnantis inhærere, subjectam reali. Nos contra ea realem præsentem personali penitus exspirare & vice versâ contendimus. Scilicet una eademque Majestas in Republ. eminent, quæ multitudinem subjectam domat, & ad beatitudinem civilem componit ritè. Ea simul ac in civitatem coeunt ac congregantur cives, sive tacitè sive disertè voluntatem Reipublicæ subdiderint, existit. Et hætenus realem vocaveris. Sed in Principem aut Proceres transmissa novum vocabulum acquirat, & personalis appellari meretur. Extincto Rege, domo imperatrice, vel Optimatibus, redit ad populum & realis nomen recuperat; inter regnis & populari statui familiare ac proprium. Neque ideò necessum est, duplicem Majestatem fingere, quod extincto Rege, aut familiâ regnatrice populus sui juris evadat, hætenus ut pro lubitu alium Regem, aut aliam Reipublicæ formam possit constituere. Non magis, quam fingendum est in servo imperium reale imperio Domini personali contradistinctum, ideò quod extincto sine hærede Domino servus sui juris sit. *Puffendorff. lib. 6. §. 4. de J. N. & Gent.* Diversam ergò appellationem subjectum diversum gignit omnem. Quamquam etiam Majestas realis appellari possit, quæ penes totam Rempublicam est, abstrahendo à personis, quæ illam pro tempore

D

porè



pore sustinent : quâ ratione una eademq; Majestas realis ac personalis fuerit, diverso saltem considerandi modo.

*R. ad argum.
quod seditioni
occasionem
præbeat.*

§. XXI. Hornius C. L. §. 19. premere sententiam nostram pergit : *Perniciosam eam esse, quæ seditiosam plebem pestilentissimo instrumento armet, ut quoties displicuerit Rex, aut subjectionis aliqua conditio cessaverit, mutet voluntatem, & illum deponat solio. Quod solo pacto colligatur, si altera pars contrahens promissis non stet, alteram impunè solvi obligatione. Ideoq; si Princeps contra subditorum utilitatem aliquid designaret, cessare horum subjectionem.* Enimverò diversissimæ, & abhorrentis longè virtutis pactum est, quo superiorem nobis imponimus : & quo celebrato paciscentes æquales manent. Abest enim à subditi officio inquirere in actus imperantis, fidei datæ congruant, nec ne; aut ob quasvis injurias & conditiones etiam manifestè non servatas imperium excutere & caput obmoliri. Idq; ex penitissimâ indole ac fine societatis civilis, quam coeuntes in Rempublicam severè intendunt, clarescit. Tranquillitati enim & saluti communi, in quâ singulorum salus comprehenditur, ita nunquam consultum foret, & elusorium evaderet imperium. Tam abstrusa sunt negotia civilia, ut vulgus æquitatem & necessitatem eorum ægrè intelligat, aut per turbulentos affectus intelligere nolit. Reip. maximè expedit, non omnium præceptorum evulgare rationes, & celeritas, quâ maturandum subinde consilium, id impedit. Suppliciiis immitioribus foedaverit Rempublicam Princeps, si delicta obtendat legesq; violatas, nemo crudelitatem ejus jure accusabit. Tributa graviora imperaverit : Subditus consilii publici ignarus, num necessitas communis flagitet, temerè non excogitabit. Eximii meriti Proceres indictâ causâ è medio tollat : si machinamenta & insidiæ in personam & opes imperantium suspicioni prætexantur, difficulter de innocentiam trucidatorum constabit. Leges fundamentales & privilegia temeraverit : cum utilitas publica & necessitas ubique suprema lex Regibus esse debeat, habebunt semper, quo facinora velent. Conf. *Bæcler. ad Grot. L. 1. c. 4. §. 4. Epstein ad Horn. C. L. §. 19. Ipse Hornius in Polit. l. 2. c. 12. §. 8. & tractatu de subjecto juris naturalis c. 5. §. 3. & 4.* Tum verò falsissimum est, cessante quavis subjectionis conditione liquidò, solvi obsequii vinculum, resistere vi ac armis,

mis, aut deponere imperantes ex pacto tali licere. Id enim directò
 intentioni constituentium repugnat, & perniciosissimum socie-
 tati humanæ est, longèq; consultius vel dimidiam partem populi
 interire gravissimasq; pati ab imperantibus injurias, quàm navem
 Reipublicæ fluctibus civilibus demergi, quàm Reges ob delicta
 quælibet, prout concitatae multitudini, aut ambitiosæ nobilitati
 furor suggesserit, ditone suâ vel cadere, vel spoliari posse, *Barcla-*
jus contra Monarchom. l. 3. c. 16. Conf. *Traj. Boccacini in relat. ex Par-*
nass. p. 1. c. 3. ubi lepido Apologo Henrici IV. parricidium Gallis
 exprobrat. *Magn. Dn. Ziegl. de Regicid. Angl. Exerc. 3.* Ita enim demum
 fidem prodenti non tenemur, si promissio apertè respectum habu-
 erit alterius promissionis, quæ ei quasi conditio fuerit implicita:
 non si diversi generis sunt promissa & citra respectum mutuum.
Hugo Grot. l. 2. c. 13. §. 16. Obsequium enim longè amplius se por-
 rigit, quàm imperii fines pertinent: & ex parte subditorum obe-
 dientium, qui resistendi jure se abdicârunt, jus est, quod respectu
 Principis nefas, & injuria. Neque obest, quod expresso pacto sub-
 ditis eligentibus cavere liceat, ut jus resistendi adversus malè im-
 peraturum habeant, vel imperium ipso jure recipiant: indeq; cum
 quilibet optimè sibi prospicere præsumatur, in omnibus imperio-
 rum constitutionibus tacitè eam conditionem subesse arguantur.
 Nam quoniam ea tranquillitati publicæ & naturæ imperiorum,
 adversatur, imò in providentiam divinam injuria est, quæ preci-
 bus & lacrymis ad Deum, amoliri Tyrannos jubet, pro ea nulla
 militat præsumptio. *Magnif. Dn. Præses ad jus publicum Beckeri l. 2.*
c. 3. §. 17. & c. 4. §. 1.

§. XXII. Prætereà Deus, qui hominum actionibus ad impe-
 ria constituenda utitur, & dispensat cui libuerit, flagitia quidem
 imperantium non probat, & in utilitatem hominum imperia
 constituit: at ob neglectum aut malè administratum officium
 ipsam potestatem eis non adimit, nec obedientiæ vinculo subdi-
 tos liberat. Manet superior, manet venerandus æqvè subditis DEI
 vicarius, & si in hunc commiserit. Officium enim Principis ab ipsâ
 Majestate accuratè separandum. *Magnif. Dn. Præses C. L. l. 1. c. 1. §. 3.*
 Hinc Salvator noster Tiberii, innoxio sanguine, perjuriis & fœ-

dâ libidine detestandi hominis principatum approbavit, & red-
 dere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Judæos jusfit, *Matth. 22. v. 21.* Petrus,
 à fidelibus in Asiâ pasfim inter gentiles agentibus, cùm consulere-
 tur, an sceleratis & sævis Regibus parendum esset, rescripsit: Sub-
 jecti estote omni humanæ ordinationi propter Deum, s. Regi qua-
 si præcellenti, s. Ducibus ab eo misis. Timete Deum, honorate
 Regem. Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum
 bonis & modestis, sed etiam dyscolis, *1. Petr. 2.* Idem gentium Do-
 ctor *Rom. 13.* inculcat, & quisquis potestati summæ resistit, æter-
 nam damnationem minatur. Confer *Barclaj. contra Monarchom.*
l. 3. Duos tantum mihi hic casus notaverim; Alter est: si expresso
 vel tacito pacto inter populum & Principem convenerit, ut con-
 tra leges fundamentales violaturum certo eventu justa vis sit, &
 subditi obedientiæ vinculo solvantur. *Magnif. Dn. Præses C. L. Hu-*
go Grotius l. 1. c. 4. §. 14. Alter: si Rex verè hostili animo in totius
 populi exitium feratur, ut Nero, Caligula, qui Senatum Populum-
 quæ Romanum omnem ad internecionem delere, & novas sibi se-
 des quærerere cogitabant; & Chanchienchungus, Tyrannus Sinen-
 sis, qui ultra septies centena millia hominum subditorum stygia
 sæviendi rabie trucidaverat. Cum furiosis enim eundem exitum
 faciunt. Confer. *Barclaj. l. 3. c. 16. in fine. Hugo Grotius C. L. nu-*
mer. II.

*Ry. Argum. de
 bellicâ occu-
 patione & he-
 reditariâ suc-
 cessione.*

§. XXIII. *Hornius C. L. §. 19. in fine* porrò obvertit: Oc-
 cupatione bellicâ & hereditariâ successione invito populo, exclusâ
 conventionem omni Majestatem adquiri. Aliud ergò principium quæ-
 rendum esse. Sed vim non habet hoc argumentum. Occupatio
 victoriosa bellantium actus Physicus est, quo robore firmior per-
 missu DEI imbellem opprimit & frangit: pro se nullum jus con-
 stituens, nisi voluntas humana accesserit; sed tantum occasionem
 ad jus producendum præstans. *Hobbes in Leviath. c. 20.* Simul ac
 enim victi cum victore, qui imperium se agitare conatibus suis non
 obscure indicat, s. pia ille arma s. impia tulerit, pace reconciliatâ
 in gratiam redierunt, se consentire voluntati ejusdem & arbitrio
 ipsius se submittere arguunt. Quæ conventio tacita est. cùm fa-
 ctis æquè ac verbis voluntatem significare, pactaque celebrare
 quæ-

queamus. Bestiarum est cedere occupanti. Homini à DEO dominio nullius subiecto liberum fuerit interire, quàm imperium alterius suscipere. Animæ & voluntatis negotium est imperia condere: quàm nulla vis externa potest cogere. Conf. *Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 14.* Quod si expressâ pactione res componantur, de imperii constitutione constabit testatiùs. Idem statuendum de successione hæreditaria. Nam successio non est titulus imperii, qui imperii formam assignet, sed veteris continuatio. Jus enim ab electione familiæ cœptum succedendo continuatur. Quare quantum prima electio tribuit, tantum defert successio. *Grot. C. L. l. 1. c. 3. §. 11.* Si intimiùs metiamur rem, pactum electionis aut bello extorquetur, & occupationem vocant: aut in familiam regnatricem fertur, & successionis nomen induit: aut in unam personam tendit, & pristinum vocabulum servat. Fundamentum ergò quæsitæ imperii ubique conventio est, cætera extrinsecus circumstant. Nec officit, quod pactum inter alios conventum alios non stringat, adeòque primi constituentes jus imperii, quod liget posteros, genti imperatrici conferre non potuisse. Quippe liberi parentum suorum locum & personam in societate civili repræsentant. Idque naturali rationi convenit: quod DEUS ipse genus humanum ex se deficiens & mortale per recens natos suppleat, & adeò conditionem parentum subditorum subire velit sobolem. *Magnif. Dn. Præf. c. 7. §. 2. c. 16. ad Aur. Bull.* Deinde jure Patriæ potestatis, si aliàs conservari nequeant, in servilem conditionem redigi queunt: multò magis ergò civili imperio, sine quo genus humanum stare nequit, subdicere liberos poterunt. *Grotius C. L. l. 3 cap. 7. §. 5.* Accedit, quod adultiores formam præsentem Reipublicæ eo ipso dum ibi agere pergunt, confirmare videantur.

§. XXIV. Quod de milite, qui sibi jus eligendi usurpat, dubium movet idem autor §. 17. diluit Achill. Epheîn ad eundem locum v. 3. 21. 23. De eo nobis dispiciendum restat, an Vicarius DEI augustissimi Princeps audire, quòd ex gratiâ DEI regnet, profiteri, aliasque divinas appellationes sibi sumere queat, si à populo secundum principia exposita in thronum evehatur. Ita Justiniani

Rz. *Argum.*
quod Princeps
esset populi non
DEI vicarius.

in l. 1. C. de V. J. E. l. fin. C. de LL. Novell. 82. c. 4. Novell. 83. c. 1. passim, & communis loqvendi genius fert. Nostræ Sententiæ convenire Christoph. Beloldus *Polit. c. 1. §. 14. & 15. Dn. Schaller. diff. contra Miltonium p. 1.* negare videntur. At enim verò quamdiu verum est; nos æqvè esse creatos à Deo homines, eiqvè vitam & animam rationalem acceptam ferre, quam per parentes nobis concessit, ac Adam & Eva, qvi immediatè à Deo producti sunt: tamdiu rectè asseverabo, Majestatem à Deo accepisse imperantes etsi per homines, tanqvam causas secundas, adeoqvè solius Dei æterni venerandos Vicarios esse. Non minores gratias Deo debemus, quod per parentes Dominium rerum hæreditariarum nobis tribuerit, quam Protoplasti, quibus ipse communicabat. Non enim ea Deus tantum instituit, quæ sine ministerio hominum instituit. Ita per Deum & ejus gratiam etiam Proceres & medii magistratus jus dicere, adeoqvè vices Dei in terris gerere Salomon *Prov. 8. v. 15. 16.* prædicat. Bodinus *de Rep. l. 1. c. fin. p. m. 269.* imis Magistratibus titulum Dei gratia hæsisse olim, auctor est. Digna ejus verba sunt, quæ adscribam: *Sunt alia pleraque levissima, quæ Principum propria dicunt, l. ad decus, vel ad dignitatem. Ut rescriptis addere: Gratia DEI. Quæ verba Ludovicus XI. Rex Franciscum Armonicorum Ducem de suis rescriptis detrabere jussit, tametsi in omnibus ferè antiquis fæderibus usitata legimus, nec Principibus modò vel Ducibus, sed etiam minimis Magistratibus ac Legatis adscripta.* Neminem tantæ audaciæ fore credo, qvi Electores ac Principes Romani imperii Vicarios Dei esse & per Dei gratiam imperare inficietur. Qvi tamen ἀνυπεύθυνοι non sunt, & Imperium ac Imperatorem superiorem venerantur Myserus ad Rumelinum *Disp. 1. ad Aur. Bull. tb. 4. A. Magnif. Dn. Præses in notis ad pr. Aur. Bull. conf. §. 25. infra.* Cùm ergo æternâ providentiâ genus humanum per imperandi & parendi ordinem regere destinaverit omnipotens: homini in ipsa creatione principia, & facultates constituendo imperio sufficientes indulserit, ac eâ de re suam voluntatem per rectam rationem nobis aperiat, & tandem hodie peculiari numine & sapientiâ imperscrutabili hominum constituentium consilia flectat: non uno nomine autor Majestatis ipse, & Princeps ejus Vicarius affirmabitur.

Dn.

*Dn. Bæcl. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 6. Causa causæ est etiam causa causa-
ti, si inferior superiori subordinetur essentialiter, & hæc ad ipsum
causandi actum concurrat. Petr. Fonseca l. 2. Metaphys. Aristot.
c. 2. questione 1. sect. 2. ex Scoto ita philosophatur: Causæ essentiali-
ter subordinatæ sunt quælibet duæ causæ ejusdem generis, quæ i-
ta sunt affectæ inter se, ut altera ex naturâ suâ pendeat ab alterâ
in causando. Pergit Stahlius Reg. Philos. 12. §. 16. *Quomodo o-
mnes cause secundæ subordinantur DEO, quoniam concurrunt cum a-
ctionibus omnibus creaturarum, suntque earum actiones secundum
rem ipsius Dei actiones.* Quamquam hæc probè constitutio Impe-
rii à modo constituendi discernenda. Qui sæpius vitium tra-
hit, quod detestatur Deus, & deinde pacto accedente subditorum
deletur.*

§. XXV. *Hornius C. d. §. 10. & 17. in fin.* ut ultimò velut
ictu nostrâ sententiâ confectâ, per ruinam hanc suæ viam sterne-
ret ex omni causarum effectricium classe populum exturbat sta-
tuendo: *Deum non solum esse causam efficientem immediatam, ade-
quatam Majestatis: sed etiam immediatè conferre, seu causam effi-
cientem immediatam collationis esse: populum verò electorem causam
instrumentalem collationis & causam modorum acquirendi facit:
quippe qui duntaxat eligeret subjectum & personam imperaturam,
cui calitus Majestatem committeret Numen. Antequam verò ap-
plicaret personam ad Majestatis aximam, productum esse oportere.*
Quod exemplo ministri Ecclesiæ & fœminæ nubentis viro illu-
strant magis, quàm firman. Cæterum cum falsâ hypothesi hæc
distinctio nitatur, eodem jure, quo profertur, rejicimus. Ratio-
nibus pugnandum. Faber lignarius, qui ipse extruxit ædes,
nonne est causa productrix ædium, etsi materiam, unde composi-
tæ, ipse non procreaverit. Aurifaber est causa poculi produ-
ctrix, licet non auri ex quo conflatum. Et tradens mihi est si-
mul causa poculi in me translati. Eodem penitus modo, ut su-
pra disputavimus, pacto subjectionis imperia producta sunt.
Non est ad causas extraordinarias procurrendum, ubi per viam
ordinariam res expediri potest. Et quamquam multitudinem e-
lectricem quodammodo causam instrumentalem contemplatio-
ne Dei esse dederim; quia tamen in Majestatem constituendam

reve-

*Resp. distinct.
inter Applic.
majest. ad per-
sonam, & per-
sonæ ad Ma-
jest.*

revera influit, non merè passivè se habet, sed liberè agit, ab omni causalitate non potest excludi, sed causæ secundæ nomen merebitur. Certè supra conditionem nudi instrumenti est, pro arbitrio personas imperaturas, & formam Reipublicæ eligere, limitare & dividere imperium, imò secundum principia Hornii, qui Polyarchicis Rebuspubl. Majestatem negat, efficere, ut planè nulla Majestas in genere humano refulgeat. Et pacta fundamentalia ea res vehementer concutit. Quæ facilè explodet Princeps, causatus, integrum & illibatum sibi à Deo traditum imperium, in quod nulla dispositio populi pertingeret. Tum verò incertum & fluctuantem reddit imperantis animum, an acquisiverit Majestatem, quòd fortè invito Deo ad gubernaculum destinatus sit. Deinde res morales cum Physicis fœdè miscet. Majestas est qualitas seu facultas moralis, adeoque antequam conferatur existere separatim ac formaliter nescit. Indeque dicitur insulsè, ubi Democratia in Monarchiam vertit, aut Rex Regi Majestatem cedit, Majestatem redire ad Deum, qui postea redderet electo & cessionario. Eadem temeritate dixerim: pistorem qui mihi panem vendit, se abdicare dominio panis, quod ad Deum revolaret, qui ementi redderet. Accidens non vagatur extra subjectum. Personæ imperantium eadem semper, sed cum ex sola obsequii promissione Majestatem consequantur, populus promittens & effectricis & collatricis causæ vices tuebitur.

*Resp. Argum.
quod Deus im-
peria singul.
providentiâ
constituat &
conserve.*

§. XXVI. Jam argumenta Adversariorum, quibus suam opinionem fulciunt, excutiemus. Quorum primum Hornius c. L. §. 4. 5. 6. *Stupendam & augustam Regum constitutionem ac conservationem, quâ jam Tyrannorum flagitia, jam subditorum expiarentur, proponit.* Solidi nihil probat. Etiam matrimonia, ingens humani generis firmamentum, incunda & tuenda eximiè procurat Deus, arbitria conjugum mirificè flectit, longinquè convocat, laborantes à miseriis ac periculis vindicat. Malè tamen inde instituere immediatè confeceris. Distingvenda providentia divina à modo providendi. Certum est ingenti curâ pro condendis tegendisque regnis excubare Deum. Sed de modo disputamus. Illustrat id Hugo Grotius *de veritate Christianæ Religionis p. 13.* cujus verba subjicere non pigrabimur, Providentiæ di-
vinæ

vinæ circa res hominum non leve argumentum & Philosophi & Historici agnoscunt in conservatione Rerum publ. Primum universim, quod ubicunque ille ordo regendi parendique receptus est, manet semper. Deinde sæpe etiam specialiter in longâ duratione hujus aut illius formæ imperii per multa secula, ut Regii apud Assyrios, Ægyptios, Francos, Optimatum apud Venetos. Quamquam enim humana sapientia aliquid in hoc potest: tamen si rectè consideretur multitudo malorum hominum, & quæ extrinsecus nocere possunt, & agnatæ quasi rebus vicissitudines, non videtur tamdiu aliquod imperium posse subsistere, nisi peculiari quâdam divini Numinis curâ. Quæ evidentius etiam spectatur, ubi DEO visum est mutare imperia. Nam quibus ille tum ad eam rem, tanquam sibi destinatam instrumentis utitur, puta Cyro, Alexandro, Cæsare Dictatore, apud Tartaros Cingi, apud sinenses Namkaa: his omnia, etiam quæ ab humanâ prudentiâ non pendent, fluunt supra votum, magis quam fert solita casibus humanis varietas. Quæ tanta eventuum similitudo, & ad certum finem quasi conspiratio indicium est providæ directionis.

§. XXVII. Alteram §. 8. ex S. Scripturæ testimoniis depro-
mit, utpote *Prov. 8. v. 15. Daniel. c. 2. v. 37. c. 5. v. 18. Sap. c. 6. v. 4. Rom. 13.* & Regum Judæorum aliorumque quos per Prophetas instituit Omnipotens, aut se dejecturum throno prædixit. Equidem nullam potestatem nisi à DEO esse, facilis largior, sed sine ministerio & operâ hominum eandem à DEO transferri semper, oracula sacra non evincunt, *Hiebr. 10. v. 9. 10. 11. & 12.* Vitam ac spiritum DEum sibi dedisse conceptis verbis affirmat: *Act. 17. v. 25.* Vitam DEus indulgere omnibus hominibus dicitur: & *Psalms 127. v. 4.* munus DEI soboles prædicatur. Absurdè tamen inde argues, immediatè DEum inspirare vitam, exclusis causis secundis & parentibus generantibus. *Irenæus l. 5. adversus Hæres. Valent.* Ad utilitatem Gentilium terrenû regnum positum est à DEO: cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur, apti iis, qui in illo tempore ab ipsis regnantur. Et Tertull. in Apologet. Inde est Imperator, unde & spiritus. *Gen. 24. v. 35.* DEUM servis, gregibus ovium, armentis & divitiis beasse Abrahamum Moses memoriæ prodidit. Immediatè verò illud factum non crediderim, sed per commercia, rem pecua-

*Resp. argum. 2
S. Scriptura
petitis.*

E

riam,

riam, labores; quibus Numen benedixit propitium. Per me Reges regnant, & potentes decernunt justitiam. Per me Principes gerunt principatum, & ingenui omnes Judices terræ, DEUS, æterna sapientia. *Prov. 8. v. 15. 16.* pronunciat. Indicans etiam inter-medios magistratus à DEO potestatem accipere. Quibus tamen jurisdictionem Principes delegare nemo non confitetur. Nam in *v. 15.* habetur vox Hebraica *Rosenim*, quæ Proceres secretiorum consiliorum participes denotat, quos Chaldaeus & Syrus Potentes, Satrapas s. dynastas, B. Lutherus *Nachts-Herren* appellat. *Conf. c. 5. v. 2. Judic. 1. Ps. 2. v. 2. Prov. 31. v. 4. Es. 40. 23.* ubi eodem sensu usurpatur. *Item. v. 6.* habetur vox *Schophete* i. e. Judices & Magistratus qui juri dicundo tantum præfunt. Formula loqvendi sacro Codici familiaris, quâ providentia DEI, quam ordinariè intermediis causis secundis explicat, simpliciter memoratur, turbare debet neminem. Originem enim rerum & bonorum omnium, quibus beati fruimur, enixè Spiritus S. vult inculcare, ut impotentem & vanum animum ponamus, auctori summo confidere soli & sursum corda vertere discamus. Idem sibi vult August. *Confessio art. 16.* legitimas ordinationes civiles bona opera DEI & licita appellando. *Conf. Magnif. Dn. Praeses ad jus publ. Bæck. l. 1. c. 4. §. 4. Barcl. contra Monarchom. l. 3. c. 2. Puffendorff. de J. N. l. 7. c. 3. §. 25.*

§. XXVIII. Deinde illud quoque prætereundum non est, quod extraordinaria Regum constitutio ab ordinariâ, de quâ solâ in præsentî disputamus, immane quantum abhorreat. Illa Reges Hebræorum, & quotquot per Prophetas unctionis ritu legebantur, ad summum rerum fastigium admoti sunt. *Gerhard. de Magistr. Polit. §. 83.* Et si accuratiùs rem exputemus, per illam unctionem ac electionem non tam jus in re ac ipsum imperium summum, quam jus ad rem adepti ejusmodi Principes sunt. Imò quandoque ut in Rege Syrorû Hazacæle illa unctio tantû vaticiniî & præfagii vim præ se tulisse videtur. Argumento est, quod is què DEUS expressè imperio consecraverat, ante Rex, quam populi, qui eum supra se Regem constituat, consensus accesserit, & coronæ sceptrique regalis traditione velut in regni possessionem induxerit, extitit neutiquam. Nam & Saul unctus & electus à Domino, postea demum populi suffragiis & sorte in Regem sumptus est, *Samuel. 10.* David unctus
jam,

jam, vivo Sauli tamen serviebat, *1. Sam. 16. & 1. Sam. 23. v. 21.* Rex futurus appellatur; David Saulem adhuc unctum Domini, & venerandum DEI vicarium. *2. Sam. 1. v. 14. 16. imò c. 2. v. 5. & c. 5. v. 4.* Dominum Israelis vocat; quo eodem capite demum Rex gentis suae electione factus commemoratur. Hazael vivo Benhadat plures jam annos unctus jussu DEI erat. *1. Reg. 19. v. 15. & tamen 2. Reg. 8. v. 13.* modestè deprecantem ita alloquitur Helias: Ostendit mihi Dominus, te Regem Syriae fore. Accedit Deuter *c. 15. v. 1.* quo cum demum Numen constitui Regem jubet lege disserta, quem ipsum solio destinaverit. Proinde καὶ ἐλπὶδα Reges ejusmodi, vocat Barclajus & heredibus regni comparat. Quamquam enim Omnipotens I. invitis obtrudere Reges gentibus ex eminentissimo in omnes res creatas dominio possit: tamen benignissimus imperiorum constitutionem pro lubitu eligentibus permisit ut eo promptius amore, & obsequio susciperent, quem arbitrio suo Principem creatum, nossent. Idem statuendum de imperantium exauctaratione est, quam DEUS tantum per Prophetas se decrevisse, & ministerio hominum perfecturum se praedixerat. Enimverò Respublica Judaeorum non vulgaris erat, sed Theocratica, in qua Deus aeternus populo imperitabat Rex & Creator: duplici quasi munere functurus. Ipse ferebat leges, ejus auspicio gerebantur bella, Magistratus creati, supplicia exercita. Quidquid regalis officii ac Majestatis est, gessit. Hinc Joseph. *l. 11.* contra Appium Theocratiam appellat, *Conf. Boxborn. Pol. p. 335.* Atque propterea *1. Reg. 8. v. 7. 1. Reg. 12. v. 12. & Jud. 28. v. 22. 23.* Jehova Rex Israelis vocatur. *Conf. Siracides c. 17. v. 14.* Nam Moses & Josua internuntii Domini & Magistratus nudi erant qui domi jus dicebant, foris summi duces bella adversus hostes agebant. Si quid sublimioris ac ardui negotii occurreret, DEUS, quid de rebus faciendum esset, consulebatur. Porro Judices non secus ac Consules Romani, antequam Praetores crearentur, Magistratus meri, civilis & militaris munia obibant. Jurisdictionem apud gentem suam, & rem bellicam legionesque curabant. Donec infans populus fastidito caelesti gubernaculo ejusmodi expeteret imperium, quae vicinae gentes venerarentur. Nihilominus tamen se omni curâ in eos non abdicavit, sed jus eligendi s. destinandi Regem Israeliticum Deuter. *15. v. 11.* sibi disertè reservavit. Quod reliquum est, Politica demon-

demonstratio, quam Hornius *n. 9. l. C.* ambitiosâ & vastâ inductione tradit, momentum non habet: cum in Physicis viribus nemo Politicorum facultatem moralem quæsierit. Præterea in intellectu & voluntate principia imperiorum residere à nobis probatum abundè est. Altera parte ergo deficit, & sponte suâ ruit.

Dicta ad Imperatorem Rom. applicantur.

§. XXIX. Tametsi verò quam prolixè pandimus originem summarum potestatum, eadem in Rebusp. omnibus sit: Evidentiùs tamen longè se in electivis, quam successivis commendat. Quemadmodum Rom. Imperium eminentius in Imperatoris sacratissimi constitutione exemplum nobis ostentat. Equidem Rom. Respublica cum proprio regimine floureret, alternis vicibus jam libero populi & Procerum suffragio, jam hæreditatis jure ad clavum imperii Rectores suos admovisse legitur. Sed postquam à Carolo M. & Ottone M. regnum Germanorum, quod bonam partem electivum fuisse memoria veterum produnt, cum Rom. tam arcto vinculo in unum corpus combinatum fuit, ut jus eligendi Romanis omne ademptum penes Germanos resideret, paulatim imperium Romano-Germanicum ex hæreditario ferè, in electivum purè ab Henrici IV. tempore, quæ hodierna quoque rerum facies est, abire cœpit. Consulatur Dn. Hermannus Conring. de Septemvir. §. 9. ad 21. & de Imperat. Rom. c. 10. A primis verò imperii Germanorum natalibus observatum fuit, ut ab universo populo Reges & Imperatores crearentur. Dn. Conring. C. L. §. 22. Sed postmodum ad septem Principes opibus potentiores, & eminentiori dignatione in aulâ Cesarum fungentes, quos Electores vocamus jam, ante tempora Freiderici II. eligendi autoritas pededentim protracta est. Tum verò cum post Friderici II. tempora afflictæ admodum Germanorum res à publicâ curâ Proces plerosq; averterant, eandem penitus sibi vindicaverunt. Donec consuetudo illa à Carolo IV. solenni Aur. Bull. sanctione firmaretur. Dn. Conring. D. L. §. 23. ad 32. Sever. de Monzamban. 1. 2. & 3. c. Burgoldensis in not. ad Instrum. pac. p. 1. Diss. 19. n. 2.

§. XXX. Accipit ergo Imperator Rom. imperii diadema ab Electoribus. Quorum olim ex Aur. B. Constitutione septem, & novissimis temporibus ex Pacificatione Osnabrugensi art. 4. §. Quod ad domum Palat. Octo: Ecclesiastici tres, Archiepiscopi Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis: Seculares quinque Rex Bohemix, Duces

Duces Bavariæ & Saxonix, Marchio Brandenburgensis, & Comes Palatinus Rheni existunt. Quos omnes, quoties vacare solium Imperatorium contigerit Archiepiscopus & Elector Moguntinus tanquam Collegii Electoralis Decanus & Germaniæ Archicancellarius intra mensem à primo die, quo de obitu Imperatoris rescivit, ad electionis negotiũ conciet. *A. B. tit. 1. §. 21.* Qui spatio trium mensium à die literarum redditarum in loco electionis, qui hodie Francofurtum ad Mœnum est, nisi gravis causa aliud svadeat, se sistere tenentur. *A. B. tit. 1. §. 19.* Quod si officium suum obire neglexerit Archicancellarius, ipsos Electores etiam non vocatos pro fidei suæ virtute, quæ sacrum prosequi tenentur imperium, convenire oportet. *A. B. tit. 1. §. 2.* Liberum vero est, num ipsi, an per Legatos comparere malint, si domi arduis impedimentis detineantur. *A. B. tit. 24. §. 6.* Quos tamen plerò, & quod ad Imperatorem liberè creandum sufficiat, nec certam personam eligendam restrictum sit, mandato instruere debent. *A. B. tit. 1. §. 19. & 23. Conf. Mylerus ad Rumelin. Diss. 2. th. 14.* Qui copiam sui, ut expositum est, non fecerit, ante finitam electionem discesserit, electionis jure pro illâ vice privatur. *A. B. tit. 1. §. 13.* Urbem electioni destinatam ingressi in templum S. Bartholomæi descendunt, & sacris peractis ad altare sanctè jurant, se idoneum Reipublicæ Christianæ Imperatorem constituturos. *A. B. tit. 2. §. 2.* Tum verò Moguntinus suffragia colligit, i. quidem in Trevirensis, deinde Coloniensis & ordine cæterorum inquirendo, tandem ipse sententiam dicit. *A. B. tit. 4. §. 3.* Majoris partis suffragia valorem universorum habent. *A. B. tit. 2. §. 4. & 6.* Electione factâ in literas redactâ, & sigillis Electorum confirmatâ ad aram accedunt. Ubi Moguntinus convocatâ multitudine Imperatorem electum proclamat, & ei mox imperii sacrosanctum axioma sub certis legibus, quæ capitulationibus continentur, committit; ita tamen ut è vestigio jura ac privilegia Electoribus confirmare teneatur. *A. B. tit. 2. §. 8.* Actum Electionis sequitur Coronatio s. Inauguratio. Quæ quidem electo nihil novi juris tribuit, sed quod tributum est festivè magis declarat. Quæ olim triplex, Germanica Aquisgrani, Lambardica Mediolani, Romana Romæ frequentabatur; sed hodie posteriores duæ in desuetudinem abiisse dicuntur. *Reinking. de R. J. & E. l. 1. th. 3. c. 8. n. 12. & seqq.*

§. XXXI. Quamquam verò Electores Majestatem augustam, quanta quidem in electum secundum pacta fundamentalia cadere potest, Imperatori sacratissimo contulerint: vix tamen prorsus deponere & fascibus exuere posse temerarium eosdem inde eviceris. Etenim subditos Principem in maxima tyrannidis flagitia prolapsam solio deturbare non posse, supra §. 21. & 22. abundè probavimus. Electores quidem in consortium summæ potestatis adoptati sunt. Sed tamen nec proprio nec totius imperii nomine deponendi potestatem habere videntur. Non illo: quia nullibi eadem abdicandi auctoritas Electoribus in LL. fundamentalibus concessa invenitur, & alias Imperatore superiores esse necesse foret. Non hoc: quod tota Respubl. Principi subjecta & inferior sit, uti §. 19. & 20. ostendimus. Relinquitur itaque solum DEum, qui per Electores Imperatores Rom. constituit, eosdem exauctarare, & purpurâ exuere posse. *Magnif. Dn. Præses ad A. B. c. 4. §. 2.* Quibus non obest, quod *Hippol. à Lapide c. 3. sect. 2. adfert*: quod Imperator Imperii ordinibus rerum gestarum reddere rationes, & quandoque, si fastigio Imperatorio indigno videretur, à gubernaculo removeri queat. Nam eximiè hoc dubium *Dn. Bæclerus ad D. L. Hippol. discutit*, quod submissio voluntaria non præjudicet potestati regie, si rex causam suam arbitrio ac iudicio civium suorum submittat: multò minus, si vi aut facto huc adigatur. Idem quoque de depositione statuendum. Cum ea aut ex detestandò adversus Pontificem R. fulmina excommunicationis in Imperatores jactantem, obsequio & superstitione plerumq; malè patrata fuerit; aut quod Wenzlao potissimum usu venit, non tam dejecti fuerunt, quam declaratum à Proceribus Imperii Romani eos deposuisse rerum summam. Voluntate enim imperantium jus imperii perditur. Quæ expressa an tacita sit, modò certa, parum interfuerit. *Magnif. Dn. Præses ad Becker. c. 1. §. 4.* Pessimè de veritate & civili societate merentur, qui in rebus maximi momenti ac præjudicii ad facta recurrunt, ex quibus nullum jus exstruxeris. Quorum singulares circumstantiæ sæpius nos fugiunt, & nullum tantum nefas sit, quod defendi ac velari nequeat, si exemplis causa oranda esset. Quæ res tantum abest, ut regali Electorum fastigio quicquam detrahat: ut ad dignationem

tionem eorundem augendam & Rempubl. Germanicam tranquillitate, pace ac vi stabiliendam eximiè pertineat. Nunquam veneranda formidandaq; Majestas imperii est, nunquam florentissima Resp. nisi sancto & arctissimo concordia civilis vinculo caput suo corpori coadunetur.



*Ata decent animos, quæis Numen nobile pectus
insevit, nec non enthea sensa dedit.
Rimari causam, quæ Majestatis adæqua,
res est, quæ multum nobilitatis habet:
Sciscere si verum licuit, nunc puncta ferentur
laudum, nec deërit munere grata Themis.
Mi KÖTTRITZ Patris Generosi Nobile Germen,
aut imitere Illum, sive, velim, superes:
Sic tandem Virtus tua sat perfecta placebit
PRINCIPIBUS, nec non commoda mille feret.
faciebam*

JOACHIMUS Merger / D. & Pandect.

Professor Publ. Curia Electoralis, Scabinatus, & Facultatis Juridicæ, quæ hîc sunt, nec non Ducalis Judicii in Marchionatu Lusatiæ inferioris Assessor.

Ad Generosum ac Nobilissimum

Dnum. RESPONDENTEM, Magni & de

Rep. Saxonica optimè meritî Parentis Filium haud degenerem,

*primâ vice Cathedram Juridicam,
ut Theses propositas masculè defenderet,
Conscendentem.*

DUm in publicum prodis jam, mi Juvenis Nobilissime, generosæ indolis igniculos sub cineribus haud diu latitare posse ostendis, neque eas Artes, quas hactenus didicisti & tractasti, tibi, sed & aliis & Reip. didicisse. Humiles istæ, dicente Lipsio,
&

QX
TK
1546

& plebejæ animæ domi resident, & adfixæ sunt suæ Terræ, illa divini-
vini-ior est, quæ Coelum imitatur, & gaudet motu. Abjecti animi est
lucem fugere, & sibi soli placere, incitati ingenii, ita operam studiis
navare, ut & viris eruditis se probet, & quondam in Theatrum &
forum Reip. deducatur. Fieri itaque vix potest, ut in Rep. admini-
strandâ feliciter & cum fiducia quadam sui procedat, nisi qui in
scholis publicis & Academiis & benè & publicè aliquid pro-
ferre consuevit, & exercitio quodam liberioris mentis se præpara-
vit. Omnis enim, ex mente Jcti Romani, Jurisprudentiæ & veræ,
non simulatæ Philosophiæ, & præcipuus finis, quoniam imo pulcherri-
ma pars est, agere negotium publicum, Cognoscere, indicare, pro-
mere & exercere Justitiam, quæque Philosophi docent, in usu habe-
re. Quæ omnia sine exercitiis Academicis haud facillè consequi-
mur. Quæ singula in Tuam, Generose Juvenis, laudem refero, qui
hanc in Academiis incedis viam, quæ aliquando Te ad summa de-
ducet Reip. fastigia. In quâ semitâ si porrò progressus fueris, non
nisi ornamentum eris Patriæ & familiæ splendidissimæ. Quod uti
auguror, ita ex animo voveo.

Tuus Tuæque Nobilissimæ Familiæ
addictissimus

Dabam ex Museo meo Witteberge

27. Maji 1674.

WERNERUS THEODORUS MARTINI D.

P.P. Ser. Elect. Sax. in Super. Appell.

jud. Consiliar.

Non nisi per magnos ad præmia magna labores
Itur, at ignavis nulla corona datur.

Nobile Nobilium sidus dum pulpita scandis

A KÖTTRITZ res est digna labore Tuo.

Hac insiste via, lætus conscende cathedram.

Præmia cultori mox dabit alma Themis.

Gratulabundus hæc adjecit

MICHAEL FRIDERICUS LEDERERUS,

D. & P. P.

F I N I S.

B. M. I, 62.
h. 10, 4.

CO
NI

Col

NOB

DN.

Antecesso

Scab

Patron

HANS

o) o) o) o)

Typ

LTIO.
PERA-

M ORDINIS,

MI, ATQVE

EISERI,

imi, Curia Elect.

ca Assessoris

notoris, summa

38

TTERITZ,

2. Junii,

o) o) o) o)

acad, Typogr.

II R
1546

